

mnium Sol quæ magnitudine ibi designatur, quatuor nempe pollicum diametro. Ita Telluris circuitus, quem magnum orbem vocant Astronomi, semidiametrum fortietur pedum triginta & sex. In quo Tellus ipsa milii grano non major circumferri cogitanda est; ei-que comes Luna, vix punctum visibile superans, in circello paulo plus quam duos pollices lato; vult in adscripto hic diagrammate. In quo linea AB circumferentiæ partem refert ejus, quam diximus, Telluris orbitæ, cuius triginta & sex pedes continet semidiameter. In ea Tellus est circellus C: Lunæ vero circum eam via, circulus DE; in quo Lunæ corpusculum quæ ad D expressum est.

Fig. 5^a

Saturniarum vero Lunarum exterior in circulo feretur cujus semidiameter pollicum 29. Jovialium item exterior in minore aliquanto, cujus semid. poll. 19 $\frac{1}{4}$.

Sic demum habebitur germanus & omni proportione perfectus solaris Regiæ typus, in quo jam Tellus duodecim mille diametris suis à Sole aberit. Cujus spatii amplitudo si miliarium numero designanda sit, plus quam septemdecim milliones, ut vocant, miliarium Germanicorum comprehendet. Sed melius fortasse hanc vastitatem animo concipiemus, si motus cujusdam celeritate eam metiamur, Hesiodi Poetæ exemplo; qui altitudinem cœli, & Tartari profunditatem æquis spatiis definiens, novem dierum noctium-que lapsu, ferream incudem è cœlo dimissam, ad terram decimâ pervenire scripsit; ac tanto